



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Filij matris meæ pugnauer[u]nt contra me, posuerunt me custodem in
uineis, uineam meam non custodiui

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

tia nebulam habens, cito purgatus est, dicente sibi angelo domini, quod sana cute decolorata es sem, quam non flamma ignis de deorsum, sed de super sol decolorauit, quod salua uirginitate grauida essem: quam non uir terrenus, sed pater coelestis, de spiritu sancto grauidam fecit. Non ita caeteri omnes cognitam ueritatem sequuntur.

Sed quid?

¶ Filij matris meae pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in uineis, uineam meam non custodiui

¶ Filij matris meae, Iudaei sunt: filij synagogae, immo qui se dicunt Iudaeos esse, & non sunt, sed sunt ¶ synagogae Satanae. Isti pugnauerunt, id est certissime pugnabant contra me, considerantes & considerare uolentes, quod fusca sim, quod non uere decolorauerit me sol, sed nigra sim nigredine omnimoda sicut tabernacula Cedar. Hinc ab illis passa sum uel patiar pugnas uerborum, pugnas linguarum blasphemantium. Praedictum est eis, quod non nigra, immo (ut iam dixi) formosa sim sicut pellis Salomonis: sed econtra pugnauerunt repleti zelo, & contradixerunt pro pugnatoribus meis blasphemantes. Diximus ergo, Vobis oportebat primum loqui uerbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis aeternae uitae, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim praecipit nobis dominus. Posui te in lucem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terrae. ¶ Hoc modo posuerunt me custodem in uineis, id est in gentibus, quae non quidem erant, sed ex mea custodia factae

¶ alias in synagoga.

Actu. 13

Esa. 42.

RVP. IN CAN. CANT. CAP. I.

Gen 10. 21

sunt uinæ domini. Posuerunt inquam, id est, ut ego ponerer, effecerunt per incredulitatem suam. Non enim ego prior illos, sed ipsi priores me repulerunt, & custodia mea sese indignos ita dicauerunt. Igitur iusto iudicio tales matris meæ filios reliqui & uineam meam non custodiui, gentem meam non adiuui, non defendi quæ uenirent locumque & gentem tollerent Romani. Putauerunt, quod si me repulissent, errare deberem in solitudine, sicut Cedar uel sicut Agar. Verum non ita est. Pro una uinea, quæ debuit esse mea, utpote gens mea, sanguis meus, & caro mea, multas uineas acquisiui, multas ecclesias in gentibus dilataui, quæ omnes custodiam meam habent, & habere desiderant, de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis confidentes, & pro huiusmodi custodia clamantes ad me iugiter. Hæc ad filias Hierusalem elocuta, quales refugit (ut supra iam dictum est) ne consideraretur ab eis, & inueneretur in utero habens, in illa frequentia uiuentium ad Elizabeth, ut congratularentur ei: mox ad dilectum conuersa dicit.

¶ Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie: ne uagari incipiam per greges sodalium tuorum.

¶ Sensum uocis huius quærenti, nec dubitanti mihi, quin ueraciter congruat tantæ tamque beatæ uirgini, magnum & mirum sese ingerit, & aperit sacramentum illius euangelicæ lectionis.